



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cura Salvts, Sivæ De Statu Vitæ Mature ac Prudenter Deliberandi Methodus

Hevenesi, Gábor

Coloniae, 1716

VD18 13912755

Considerationes de Religione, quæ habet stabilitatem loci, ut sunt:
Canonici Regulares S. Augustini, Benedictini, Cistercienses,
Præmonstratenses.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50144)

in principio percolabant culices, deinde etiam camelos glutiant. Deinde hoc hominum genus plerumque est nimium iudicii sui tenax, si enim hoc submittere alieno consilio vellent, facile à suis lepiditatibus liberarentur. Tales per sæpe in uno puncto, & certa materia sunt scrupulosi, & mille dubiis auguntur, in aliis autem magis necessariis sunt laxi, & minus observantes. Præstant proinde his manere in sæculo; si tales Religionem ingrediantur, facile, ut multis accidisse scio, ex ipso novitiatu remittuntur ad sæculum. Utpote facilius distractione, & occupationum varietate, quàm solitudine juvantur.

Considerationes de Religione, quæ habet stabilitatem loci, ut sunt: Canonici Regulares S. Augustini, Benedictini, Cistercienses, Præmonstratenses.

1. **A**ntiquitas, Sanctitas & Celebritas Ordinis, quòd jam ultra aliquot sæcula floreat, quòd tot sanctos, tot Pontifices, tot Cardinales numeret.

2. Non tantus rigor in jejuniis, corporis mortificationibus ex regula ob- eundis, ut sit periculum valetudinis.

3. Suf-

3. Sufficiētia victus , vestitus absque cura & sollicitudine , dat occasionem DEO hilariùs serviendi.

4. Non est necesse caput fatigare studiis & speculationibus totâ vitâ , consequenter plus temporis suppetit ad opera pietatis.

5. Chorus quotidianus , per quem diu noctuque laudatur DEUS, per ædificatur proximus.

6 Spes administrandi Parochias, quæ plerumque sunt his foundationibus incorporatæ, adeoque exercendi Zelum animarum.

7. Vita hæc videtur simillima vitæ Christi & Apostolorum, cum nec sit nimium rigida , sit tamen sub Regula & Prælati directione.

8. Spes etiam est Prælaturæ, in qua multa bona fieri possunt pro gloria DEI.

9. Stabilitas ipsa loci multa habet commoda. Non est opus itinerum incommoda subire ; notos longiori jam usu magis benevolos deferere ; valetudinem, ob mutationem auræ, periculo exponere. Stabilitas hæc iuvat etiam, ut quis maiorem molem rerum sibi notare, ac pro libris edendis materiam copiosam congerere possit. Quæ res

ut publico maximè utilis est, ita etiam
utinam plures sibi magis haberent com-
mendatam.

Considerationes contra stabi- litem.

1. **P**erpetuitas superiorum; cum enim
non mutantur, possent fieri de-
spotici; quid si antipathici tecum?
quanta crux; nisi tu, aut illi morian-
tur. Quorsum appellabis?

2. Perpetuitas sociorum parit nau-
seam & tædium. Quid si vel unicus
tibi sit contrarius? nec cum, nec sine
illo potes vivere; quid si multi mirabi-
les, laxi?

3. Perpetuitas loci ejusdem est gravis,
potest vel naturæ tuæ displicere, vel va-
letudini obesse, vel per se odiosa esse.

4. Perpetuitas chori & earundem
tota vita occupationum ingens facit
fastidium.

5. Vita hæc commodior esse videtur,
quàm ut sufficiat ad impediendas vel
vincendas tentationes, maximè apud
illos, qui, quod DEUS avertat, habi-
tuati eam assumerent.

6. Studiorum & talentorum nullus
ferè usus, tum quod hæc non æstimen-
tur

tur